



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola LX. Grgeorii Papae I. Ad Ianvarivm Archiepiscopvm Calaritanvm
Sardiniae. Catellam illustrem feminam commendat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

quidem etiam in causis ad ecclesiam suam pertinentibus a præfato glorioso viro grauiter impediri. Quæcumque sint, si tamen vera sint, reipublicæ disciplinæ contraria vos scitis. Et quia hæc omnia vestram excellentiam conuenit emendare, salutans eminentiam vestram exopto, vt ea vltius fieri non sinatis, sed ex opere illi iubete

*diligere,

* diligenti, vt ab ecclesiæ se latione remoueat, & nullus eorum in angariis seu commodis vltra quam finit ratio prægrauetur, aut si quæ causæ fuerint, non potentatus metu, sed legali ordine finiantur. Ita igitur quæso, aspirante vobis Domino, hæc omnia præceptionis nostræ interminatione corrigite, vt si non rectitudinis contemplatione, saltem formidine nostræ iussionis a talibus se gloriosus Theodorus, vel homines eius abstineant: quatenus, quod ad laudem vestram proficiat & mercedem, in partibus vobis commissis possit florere cum libertate iustitiæ.

EPISTOLA LX.

GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM ARCHIEPISCOPVM CALARITANVM

SARDINIÆ.

Catellam illustrem feminam commendat.

Gregorius Ianuario archiepiscopo Calaritano Sardinia.

St ipse Dominus noster viduarum se maritum, orphanorumque patrem scripturæ sacræ profitetur testimonio, nos quoque membra corporis eius ad imitandum caput summo debemus mentis affectu intendere, & salua iustitia orphanis & viduis præsto, si necesse sit, esse. Et quia insinuatum est nobis Catellam religiosam feminam, habentem filium suum hic in sancta Romana ecclesia, cui Deo auctore præsidemus, militantem, quorundam immisionibus vel inquietudinibus molestari; de ea re fraternitatem vestram scriptis præsentibus necesse duximus adhortandam, vt eidem prædictæ feminæ tuitionem ferre, salua iustitia, non declinet: sciens quod de huiusmodi rebus & Dominum sibi debitorem faciat, & nostram circa se caritatem magis astringat. Causas enim prædictæ feminæ, siue sint, siue fuerint, nostro volumus iudicio terminari, vt foralis illi inquietudo submoueri debeat, & tamen a

iudicii iustitia nullatenus excusetur. Ora autem Dominum, quo viam vestram cursu ad se prospero dirigat, & ad regnum venturæ gloriæ propitiatus ipse perducatur.

EPISTOLA LXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

Pompeianam religiosam commendat.

Gregorius Ianuario episcopo Calaritano Sardiniae.

LICET fraternitas vestra zelo iustitiæ se in diuersorum tuitionem congruenter impendat, prouidentiam tamen eam credimus prorsus existere in eorum solamina quos ei nostra commendat epistola. Pompeiana igitur religiosa femina per hominem suum suggessit nobis, multa se quorundam hominum sustinere assidue irrationabiliter grauamina, & ob hoc nobis supplicasse dignoscitur, ut nostris eam vobis commendaremus apicibus. Propterea salutantes fraternitatem vestram, debito caritatis affectu prædictam vobis feminam necessario duximus commendandam, ut comitante iustitia, in nulla eam fraternitas tua contra æquitatem grauari causa permittat, nec aliqua inconsulte pati dispendia. Sed si quas eam habere causas contigerit, in electorum iudicio, altercantium ventiletur contentio: & quæcumque fuerint diffinita, ita tranquille ad effectum vobis solatiantibus perducantur, ut & vobis pro tali opere merces inhæreat, & nostris apicibus commendata gaudeat se inuenisse iustitiam.

EPISTOLA LXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

Catellam religiosam commendat.

Gregorius item Ianuario archiepiscopo Calaritano Sardiniae.

PASTORALIS regiminis necessitate compellimur, ut orphanorum viduarumque causis solertius quam ceteris insistamus: & quia insinuatam nobis est Catellam religiosam feminam, habentem filium hic in sancta Romana ecclesia, cui Deo auctore præsidemus, militan-

tem,